



## The Holy See

---

**PAULUS PP. VILITTERAE APOSTOLICAE *COMMUNE OMNIUM*\***

NUNTIATURA APOSTOLICA IN REPUBLICA SANCTISSIMAE TRINITATIS  
ET TABACENSI CONSTITUITUR

*Ad perpetuam rei memoriam.* — Commune omnium bonum quaerentes, numquam neglegimus ea persequi consilia aut incepta, quae Nobis videntur magno esse momento ad publicas necessitudinis rationes inter quam plurimas Nationes et Apostolicam Sedem fovendas vel magis magisque prosperandas. Hanc ipsam ob causam nunc animum Nostrum nominatim in Rempublicam Sanctissimae Trinitatis et Tabacensem intendimus ibique, hasce per Litteras de more datas, Apostolica potestate Nostra Nuntiaturam Apostolicam erigimus, cuius sedes in urbe Portu Hispaniae recte collocabitur ; eidemque novae Nuntiaturae eadem, ut par est, officia deferimus eademque privilegia atque indulta, quae talium Sedis Apostolicae Legationum sunt propria. Quae singula edicimus, statuimus, decernentes ut Apostolicae hae Litterae Nostrae sive nunc sive in posterum suam habeant vim. Contrariis nihil obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIII mensis Iulii, anno MCMLXXVIII, Pontificatus Nostrisexto decimo.*

IOANNES Card. VILLOT, *Secretarius Status*

---

\*A.A.S., vol. LXX (1978), n. 8, p. 455-456 © Copyright 1978 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana